

RMK III.

1365

1624

3 de K III.
1365.

Feliz

5578.

quart. Presch

Supl. I. I

DISPUTATIO
Historico-Politica:
Continens

QUÆSTIONES
TRES MISCELLANEAS:

QUAM
Divinâ favente gratiâ



SUB PRÆSIDIO

Clarissimi atq; Excellentissimi Viri,

DN. MATTHIÆ BERNEGGERI,
HISTORIARUM PROFESSORIS EXL-
mij, Præceptoris & fautoris sui plurimum
honorandi:


defendendam suscipies

FERDINANDUS HEINDEL.
Posoniensis - Ungarus.

ad diem Octobr.


SENECA.

Tamdiu discendum est, quamdiu nescias: & si proverbio creatus
mus, quamdiu vivas.



ARGENTORATI,

Typis Johannis Reppij, Anno 1624.



V I R O,
 N O B I L I T A T E
 G E N E R I S , V I R T U T I S A T Q U E
 a u t h o r i t a t i s l a u d e c u m u l a -
 t i s s i m o ,

D N . J O H A N N I Z i s s i n g e r :
 c i v i V i e n n e n s i c o n s p i c u o , a v u n -
 c u l o s u o o m n i h o n o r i s & o b s e r -
 v a n t i æ c u l t u p r o s e q u e n d o :

disputationem hanc suam Historico-Politicam



*obsequij & gratitudinis debite
 testimonium*

offert & dicat

Ferdinandus Heindelius, Poson.
 Ungarus. A. & R.



Cic. pro Milon.

Insidiator jure interfici potest.



Vo sunt consideranda in hac sententiâ : primò, quòd interdum etiam privato liceat occidere alterum, si sc. ejus vitæ ab alio struantur insidie; deinde, quòd insidiatori vel latroni non possit afferri injusta nex: sive, quòd ejusmodi latro omni jure cæsus videatur. Prius quod attinet, benè id convenit præcepto illi juris generali; Neminem lædere. Non enim lædit, qui jure suo utitur: sed justitiæ primum munus est, ut ne cui quis noceat, nisi laceffitus injuriâ. Cic. 1. offic. Quis igitur non videat, aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsâ porrigi Justitiâ? Cic. pro Milon. Si verò tēpus est ullum jure hominis necandi; (quæ multa sunt) certè illud est non modò justum, verùm etiam necessarium, cum vi vis illata defenditur. Cic. ibid. Dicit Cicero, necessarium esse, ut quis seipsum defendat, etiam si id interdum fiat cum alterius nece. Cuius ratio in posteriore membro suprâ positæ sententiæ continetur; quia scil. aliàs negligenter id quod omni iure cautum & præceptum est. Quem enim in finem Deus homini dextras tribuit? cur binas ei manus subministravit? certè, ut tum sibi, tum aliis iniuriâ oppressis opem ferat: ut resistat & levitati multitudinis, & perditorum temeritati; ut his quibus vis & damnū adfertur, sit portus & refugium. Chrysof. hom. 134. in psal. tom. 1. Quis est qui nesciat, iure divino & quasi mandato Dei præcipi, ut quis in vasorem proximi sui, in præsentis vitæ periculo constituti, repellat: aut si aliter proximum servare nō potest, quin perdat insidiatorem; impunè eum occidat? Sic est profectò: qui non repellit à socio iniuriam, si potest; tam est in vitio quàm ille qui facit. Ambros. lib. 1. offic. c. 37. Add. Lactant. lib. 6. c. 11. Cic. 1. off. Vnde S. Moyses hinc prius orsus est tentamenta bellicæ fortitudinis. Nam cum vidisset Hebræum ab Ægyptio injuriam accipientem, defendit: ita ut Ægy-

Ægyptium prosterneret, atque in arenâ absconderet. Exod. 2. v. 11. 12. Actor. 7. v. 24. Salomon quoque dicit; Erue eos qui ducuntur ad mortem: & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses. Prov. 24. v. 11. Et David; pauperem de manu impiorum eripite & liberate. psal. 32. v. 4. Quodd si igitur jubemur proximum nostrum defendere: contra vim atque injuriam aliorum tueri: de manu insidiatorum eripere: quanto magis nos ipsos defendere, contra vim atque injuriam aliorum tueri, de manu insidiatorum eripere jubebimur? Jubemur equidem diligere proximum nostrum, sicut nos ipsos: non tamen magis quam nos ipsos: dilectio nostri debet esse norma quasi & regula, secundum quam diligamus etiam proximum nostrum: non verò juxta dilectionem proximi debemus metiri & instituere dilectionem nostri: quia omnis ordinata charitas incipit à seipsâ. Et quem alios beneficijs afficere putabimus, qui seipsum negligit, qui suam propriam carnem odio habet? Nisi enim quis seipsum prius amet, neque alios amare poterit. Natura omnium rerum, quæ nos genuit, induit nobis inolevitq; in ipsis statim principijs quibus nati sumus, amorem nostri & charitatem: ita prorsus, ut nihil quicquam esset charius pensiusque nobis quam nosmetipsi. Gell. 12. noct. Att. 5. 5.

Verum illud verbum est, vulgò quod dici solet:
Omnes sibi melius esse malle, quam alteri.

Terent. *Andr. act. 2. sc. 5.*

Deinde: generi animantium omni est à naturâ tributum, ut se, vitâ, corpûsque tueatur. Cic. *1. offic.* Et hæc non scripta, sed nata lex: quâ non didicimus, accepimus, legimus: verum ex naturâ ipsâ arripimus, hausimus, expressimus: ad quam non docti, sed facti: non instituti, sed imbuti sumus: ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. Cic. *pro Milon.* Hinc Propert. *2. eleg. 5.*

Non solum taurus ferit uncis cornibus hostem:

Verum etiam instanti læsa repugnat ovis.

Ergo in naturam injuriosus est, qui se nec defendit, nec obsistit, si potest, injuriæ.

Tertio: Hoc etiam ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos gentibus ipsis præscripsit: ut omnem semper vim quacunque ope possent,

possent, à corpore, à capite, à vitâ suâ propulsarent. Cic. *pro Milon.* Hoc jus apud omnes gentes peræquè custoditur: nemo seipsum consultò afficit damno. Arist. *5. eth. 6.* nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam. *Ephes. 5. vers. 29.*

Quarto: Lex Cornelia, quæ vetat esse cum telo hominis occidendi causâ; tacitè permittit esse cum telo sui defendendi causâ. Quæ conjecturâ utitur Cicero *in orat. pro Milon.* dum dicit: Per sapienter & quodammodo tacitè dat ipsa lex potestatem defendendi: quæ non modò hominem occidi, sed esse cum telo hominis occidendi causâ vetat: ut, cum causâ, non telû quæreretur, qui sui defendendi causâ telo usus esset; non hominis occidendi causâ telum habuisse judicaretur. Silent leges inter talia arma; nec se expectari jubent: cum ei qui expectare velit, ante injusta pœna luenda sit, quam justa repetenda. Quoddâ Duodecim tabulæ nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impunè voluerunt: quis est, qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet? Et quid comitatus nostri, quid gladij volunt? quos habere rectè non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. Quapropter hoc maneat in confesso; insidiatorem omni jure Divino, Naturali, Gentium & Civili interfici posse: & quidem ita, ut occisor in conscientiâ suâ securus & coram oculis Dei excusatus esse possit. Nam

Quod quisque facit mandato Dei, instinctu naturæ, rationis dictamine, legum præscripto; is in eo nequaquam peccat, sed in conscientiâ suâ, & coram oculis Dei tutus esse potest.

At quoties quis ob tutelam corporis sui, vel injuriæ sibi illatæ propulsationem, insidiatorem interficit; facit id mandato Dei, instinctu naturæ, rationis dictamine, legum præscripto. ut suprâ distinctè probatum.

Ergo quoties quis ob tutelam corporis sui, vel injuriæ sibi illatæ propulsationem, insidiatorem interficit; in eo nequaquam peccat, sed in conscientiâ suâ & coram oculis Dei tutus esse potest.

Arist. *2. pol. 10.*

Ebrinus peccans dupliciter puniendus.

Hæc sententia non simpliciter, sed certo modo & respectu vera est.

est: Sunt enim varia genera ebriorum peccantium. Vel enim, I. occidit v. g. per ebrietatē is, in quo ebrietas fuit remissior & superficialia; quæ non omnem rationis usum tollit. & qua non obstante, ebrius adhuc intelligit quid agat: nec suscipit quicquam eorum, quæ si sobrius esset nunquam faceret. Et hæc ebrietas ab ordinariâ pœnâ homicidij non excusat. Vel, II. occidit is qui ex consuetudine bibendi habitum sibi crebris actionibus comparavit. Et hic rursus vel insigniter & in summo gradu ebrius homicidium perpetravit; & tum non tenetur ordinariâ pœnâ homicidij: vel ebrietas ejus non fuit adeo enormis, neque rationis usum æquè impedivit; & tum non excusabitur ab ordinariâ pœnâ homicidij. Atque de priori ebrioso vera est suprâ posita sententia. Nam ebrius, etiam si aliâ quàm capitali pœnâ puniatur, tamen etiam gravius puniendus, quàm simplex ebrius: quia ob sæpius iteratam ebrietatem, sæpius etiam deliquit: & propterea gravius puniendus. Atque hanc interpretationem istius sententiæ suadent expressa verba ipsius Aristotelis, 3. *eth.* 5. (ubi eandem sententiam ex placito Pittaci Mitylenæi refert.) οἱ δὲ ἐν πότοις καὶ τοῖς τοιούτοις διαγόντες, i. e. qui in computationibus, & id genus vitij alijs atatem consumunt. Vel, III. per ebrietatem occidit is, qui se biliosum, rixosum aut bellicosum antè novit: eo tamen non attento, largiùs sese ingurgitavit. Et talis non excusatur ab ordinariâ homicidij pœnâ, prætextu ebrietatis, utcunquè insignis: quia non tantùm in culpâ est, verùm etiam in dolo. Quemadmodum nec ei parcendum ullo modo, qui de industriâ sese inebriavit, ut in ipsâ ebrietate aliquem interficiat: sperans vel facti impunitatem, vel ad minimum pœnæ lenimentum. Nunquam enim plura delicta concurrentia faciunt, ut ullius impunitas detur. Neque delictum ob aliud delictum minuit pœnam. Vel, IV. per ebrietatem occidit is, qui aliàs non solitus est strenuè bibere, inebriavit autem se aliquando ἀνευ προαίρεσεως καὶ βελούσεως præter spem & opinionem (fortè in convivio aliquo honesto, vel aliàs datâ occasione legitimâ) ignorans sc. vini vim: atque ita vino gravis factus est & impos sui, ut mens, ratio & judicandi facultas omnis sepulta iaceret. Et hujusmodi ebrius nõ videtur ordinariâ homicidij pœnâ afficiendus: quia cædes ab eo facta non est voluntaria, sed involuntaria, & propterea ordinariè non punienda. Unde sic concluditur:

Cædes

Cædes involuntaria, non est scelus ordinariè puniendum.

Arist. 4. *pol. ult.*

Atqui cædes à tali ebrius commissa, est cædes involuntaria.

Ergo cædes à tali ebrius commissa, non est scelus ordinariè puniendum.

Minor probatur ex Arist. 5. *eth.* 8. quia omnis injuria est voluntaria & malitiosa alicujus læsio: & ubicunque non est animus, nullus rationis usus, nullus intellectus, nullum iudicium, nulla voluntas & electio; ibi quoque nulla injuria, nulla calliditas, nulla malitia, nullus dolus, insidiæ nullæ. Arist. 5. *eth.* 8. Spectandum enim primò est, an persona potuerit facere injuriam, sive, an sanæ mentis fuerit: deinde, si potuit facere injuriam, an etiam cogitaverit facere injuriam. Sic Cic. 1. *offic.* dicit: permultum interest, utrum perturbatione aliquâ animi; an consultò & cogitatò fiat injuria. Leviora enim sunt ea, quæ repentino aliquo motu accidunt, quàm ea quæ meditata, & præparata inferuntur. Et in eod. libro: quæ cum aliquâ perturbatione fiunt, neque ea constanter fieri possunt, nec ab his qui adsunt approbari. Jam verò in tali ebrius non est animus, nullus rationis usus, nullus intellectus, nullum iudicium, nulla voluntas & electio: mens sibi non constat, sed vi quasi quadam novâ icta labascit. Unde parùm, aut nihil distat à furioso: Id quod ipsa experientia aliàs quoque docuit, & adhuc docet. Hinc etiam fit, ut multi iniuriam à turbulentis temulentia illatam ad animum non revocent: quod probant exempla Pisistrati & Pyrrhi, apud Valer. Max. *lib.* 5. c. 1.

Dicunt Adversarii: nihilominus manere illud, quòd talis ebrius homicidium commiserit, & quidem nullo iure: Negant autem intueri lucem fas esse ei, qui à se hominem occisum fateatur. Cic. *pro Milon.* Sed an est quisquam qui hoc ignoret; cum de homine occiso quærat, aut negari solere omninò esse factum, aut factum esse certo modo defendi? Non autem simpliciter verum; quòd quicunque nullo iure homicidium commiserit, ordinariâ homicidij pœnâ debeat affici. Nam v. g. venator intendens ferire feram, transfigit hominem, & quidem nullo iure occidit: nec tamen homicida est, talis scilicet, qui pœnâ ordinariâ debeat puniri: Ratio est, ὅταν ἢ βλάβη γένοιτο παραλόγως, quia damnum datum est inopinatò: ita ut quidem sit ἀτύχημα infortunium: non tamen ἀμάρτημα peccatum propriè

præ tale. Arist. 5. eth. 8. Quæ autem ex improvise casu potius, quam fraude accidunt; fato plerunque, non noxæ imputantur. Neque etiam verum est, quod quicumque nullo iure occidit; occidat etiam iniuriâ. Nam venator occidit quidem hominem nullo iure: non tamen facit iniuriam: quia iniuria est voluntaria & malitiosa alicuius læsio: is autem ignorans fecit. Arist. 5. eth. 8. Nullo iure igitur occidit, qui culpâ aliquâ contra æquum & bonum occidit: iniuriâ verò propriè occidit, qui dolo malo occidit.

Cic. 1. offic.

Etiam si quid singuli temporibus adducti hosti promiserint, est in eo ipso fides conservanda.

Hostis apud maiores nostros (inquit Cicero 1. offic.) is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus: Ictis verò & Politicis magis propriè hostes dicuntur illi, quibus libellus publicè decretus est, vel qui aliis libellum publicè decreverunt: sive, quibus bellum legitime susceptum, denunciatum antè est & indictum. Cic. 1. offic. per literas scilicet Clarigationis. De talibus hostibus quæritur: An, si invicem obligentur, alter alteri ex bono & æquo præstare teneatur id, quod convenit? Affirmat id Cicero, supra positâ sententiâ; cuius veritatem illustrat etiam exemplo M. Attilii Reguli, quem propterea summis laudibus evehit, quod ad supplicium redire maluerit, quam fidem hosti datam fallere. Cuius factum nō laudat modò, sed & graviter adversus dissentientes defendit, libro 3. offic. Contra vehementer increpat eos, qui hostes fraudulenter deceperunt. *ibid.* Addantur etiam exempla quæ Livius suppeditat, lib. 2. lib. 5. lib. 9. & lib. 38. Ex quibus apparet: Romanos, optimos legum interpretes, officii retinendi causâ ad cruciatus voluntarios proficisci, quam turpiter fidem deserere maluisse. Et quid tam congruum est fidei humanæ, quam ea quæ inter aliquos placuerunt servare? Quid magis bonæ fidei congruit, quam id præstari quod inter cōtrahentes actum est? Quam contrà grave est fidem fallere? imò, quam noxium & detrimentosum

sum est Reipublicæ, omnique humanæ societati, nolle stare promissis? Sanè, remotâ iustitiâ, regna aliud nihil fiunt, quam magna latrocinia. Augustin. 4. de civit. Dei, c. 4. Atqui remotâ fide, removetur etiam iustitia: quia hujus fundamentum est fides: teste Cic. 1. offic. sublato autem fundamento, corrui quicquid superstructum est. Quia verò iustitiæ tantus usus est, ut nullum tempus eâ vacare possit: quis est qui constantiam & veritatem dictorum conventorumq; non servet? Et, si iustitiæ tanta vis est, ut nec illic quidem, qui maleficio & scelere pascuntur, sine ullâ ejus particulâ vivere possint: Cic. 1. offic. quantam ejus vim inter veros & legitimos hostes fore putabimus? si fundamentum perpetuæ commendationis & famæ iustitia est, ut sine eâ nihil possit esse laudabile: certè neque militaris prudentia, neque victoria laudabilis erit, si absque iustitiâ, & quæ hanc sustinet, fide contingat. Vir sanctus & sapiens scit, veram esse victoriam, quæ salvâ fide & integrâ dignitate paratur.

Deinde probatur ista sententia, hac quoque ratione: Cum quibus omnium conventionum & obligationum est communio; iis etiam fides data servari debet: quia & hæc pertinet ad istas conventiones.

Atqui cum hostibus omnium conventionum & obligationum est communio. Ergò, &c.

Minor probatur ex illo. Ciceronis 3. offic. cum iusto enim & legitimo hoste res gerebatur, adversus quem & totum jus fœdiale, & multa sunt jura cōmunia. Sic apud Livium, fraude colloquij prætextu adhibitâ, jus gentium violari dicitur; idem violari dicitur, si legati violentur: lib. 5. lib. 9. lib. 38. lib. 40. Cic. 3. Verrin.

Tertiò: Quæcunque volumus, ut nobis faciant alii; eadem debemus nos facere ipsis. Matth. 7. v. 12. Atqui nemo hostium est, qui non velit sibi credi, & vicissim præstari ea quæ promissa sunt. Ergo, &c.

Minor probatur ex illo Livii lib. 32. vult sibi quisque credi, & habita fides plerunque obligat fidem. Contra verò rupta fides, parit etiam perfidiam: iuxta illud rhythmicum:

frangenti fidem fides frangatur eidem.

Sic exploratores à Josua, missi ad Rachab meretricem inquirunt; quod si nos prodere volueris, & sermonem istum proferre in me-

JOSUA

B

dium;

dium; erimus mundi ab hoc juramento, quo adjurasti nos. *Iosu. 2. v. 2.*

Quartò: expressè hoc ipsum docuit D. Augustinus, *epist. 207. ad Bonifac.* dum inquit: Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur. Et D. Ambrosius *lib. 1. off. c. 29.* inquit: etiam in bello fidem & justitiam servari oportere: nec ullum decorum servari debere, si fides violetur.

Hic tamen duæ cautiones & limitationes sunt subjungendæ: prima est; quòd referat an ipse princeps vel magistratus, aut eius jussu dux belli fidem dederit: an verò fides data sit injussu principis & clam magistratu. Priori casu, omninò principi vel magistratui inviolabilis debet esse fides. Cum enim violatam à subditis fidem acerrimè ulciscatur: num desertæ à se fidei ultorem neminem futurum sperabit? annon quòd in aliorum persona æquum esse credit, in suâ quoque valere existimabit? Non erunt irrita, quæ veniunt de labiis principum. *3. Reg. 1. v. 30.* sed talis sit princeps, qualis Jupiter ille Homericus; cuius sunt ista, *Iliad. 1. v. 529.*

Οὐ γὰρ ἐμὸν παλιὰ ῥετον, ἢ δ' ἀπατήλον,

Οὐδ' ἀτελεύτηλον γ', ὅτι κεν κεφαλῆ καταπέτω:

Nil fallax nostro aut revocabile prodit ab ore:

Nec linquo infectum, quicquid caput annuet istud.

Si verò fides data est incòsulto principe, & clam magistratu; nò cogitur raturum habere quòd alii fortè inimicitia & livore, aut negligentia & inertia, aut gratia & præmiis adacti promiserunt. Nec enim debet nocere alii, quòd inter alios actum est. Hinc Romani pacem Caudinâ, quam consules, legati, quæstores & tribuni militum Samnitibus injussu populi sponderunt; retractârunt irritamque reddiderunt. *Liv. lib. 9.*

Altera cautio est: quòd distinguendum sit inter pacta. Alia enim sunt legitima & honesta: alia illegitima & turpia. Pacta quæ contra leges, constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. Quæ enim facta lædunt pietatem, existimationem; verecundiam nostram, & (ut generaliter dixerim) contra bonos mores fiunt; ea nec facere nos posse credendum est. Promittentes igitur rem illicitam, peccamus: promissa illicita servantes, peccatum duplicamus.

COROL

COROLLARIA.

I.

Quid salvi est mulieri amissâ pudicitia?
Liv. lib. 1. defendat igitur eam quacunque potest tutelâ: moderata tamen.

II.

Licetne etiam filio ad-versus injuriam patris sese defendere? D.

III.

Licetne aliquando cum provocante committere duellum? A.

I.

ET PRÆSES summè doctus, doctaque THESIS sunt:
Quidni RESPONDENS doctus habendus erit?

Amicitia ergò F.

Theodorus Schad.

II.

Ad Literatissimum Dn. Respondentem Magisterij
Candidatum.

Natura in campis varios te carpere flores
Viderat Argyrope nobilis arte scholæ,
Aggerio monstrante viam, gressusq. regente,
Quem Physica exoptat, quem Medicina ducem:
Viderat & nuper Sophia percurrere saltus,
Ut Rixingeri rexit acumen iter.

Nunc

Nunc quoq; civilis sapientia amoena vireta
Ingredere publici raptus amore boni ;
Et Berneggeri praeuentis amabile filum
Deligis, errandi ne foret ansa tibi.
Sic tua perpetuo cura : sperata referre
His ducibus facile estserta Magisterij.

Εὐφημίας ἢ φιλίας ἐρεκα

apponere voluit, debuit

Caspar Lautenschlager.

FINIS.

